

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romæ, 1863

De S. Silvestro Monacho Trainæ In Sicilia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](#)

INVENTIO CAPITIS S. VEDASTI

ALIARUMQUE RELIQUiarum ATREBATI.

ANN. MXIV.
II JAN.

Miracula ad
inventas reli-
quias facta.

NOT. 47.

Aanno MXIV IV Nonas Januarii, inquit Ferreolus Locrius in Chronico Belgico, Inventio reliquiarum Ecclesiae Atrebatenensis. De ea Inventione Baldricus in Chronico Cameracensi et Atrebateni lib. 2, cap. 13. Ibi vero (Atrebati in templo S. Marie) juxta altare Dei genitricis Marie, quod B. Vedastus suis diebus consecraverat, anno quidem secundo Gerardi Episcopi, multæ et multum pretiosæ Sanctorum reliquiae inventæ sunt, ad quarum illustrationem diversa miracula per tres circiter annos divina clementia operata est. Leprosi enim mundati, contracti humanis usibus solidati, multique a diversis languoribus curati, sospitate donantur.

2 Idem Baldricus lib. 3, cap. 4, de eadem reliquiarum Inventione ita scribit: Tunc etiam temporis in

monasterio Sanctæ Mariae Atrebatenium, juxta altare, multorum Sanctorum reliquias pretiosas contigit inveniri. Ad quarum quidem merita propalanda, divina clementia diversi generis signa et prodigia operante, non solum ex vicinis sed etiam longe positis regionibus, per totum fere biennium multitudo maxima confluebat.

Maximi ad
cas concursus.

3 Fatur Georgius Colvenerius in Notis, se quo aut quales fuerint reliquiae, ab Atrebateni Ecclesia non potuisse resciscere. At Locrius, Addunt, inquit, Ecclesia Atrebateni monumenta mss. Inter cetera brachium S. Vedasti cum capite ejus, et quibusdam membris ipsius, etc. De S. Vedasto plura vi Februarii, et de festo reliquiarum Ecclesie Atrebateni alio loco.

Quæ fuerint
illæ reliquiae.

DE S. SILVESTRO

MONACHO TRAINÆ IN SICILIA.

ANNO MCLXXXV
II JAN.
ET II MAI.

S. Silvester fit
monachus.

Visit sepul-
chrum S. Aga-
thæ.

Silvester ex ordine S. Basili monachus colitur II Januarii et II Maii, frequenti populi concurso Trainæ in Sicilia, ex Julii III Pontificis Maximi concessione, ut testantur Octavius Cajetanus noster in Idea operis de Sanctis Siciliis, et Philippus Ferrarius in generali Catalogo Sanctorum. Est Traina, alius Trayna, Troina, Troyna, Trojanopolis, Trajanopolis, Dragina, Mediterranea Sicilie urbs in colle edito sita, olim Episcopalis, de qua agit Thomas Fazellus rer. Sicular. decad. I. lib. 1 et 10, sed quod eam esse censem Trainanopolim, quam L. 1 de censibus, coloniam juris Italici appellant Ulpianus, alius minus probatur, qui isthic in Cilicia legendum, non in Sicilia, arbitratur. Paullo infra urbem, inquit idem lib. 10 Fazellus, ad P. M. II. Meridiem versus, ædes D. Michaelis super collen erecta, et cœnobium D. Basilii illi adjunctum extat, a Rogerio Comite, parte contra Saracenos victoria, pro triumpho dedicatum. In hoc S. Silvester vitam degit; a quo locum quemdam S. Silvestri appellari existimo apud eundem Fazellum, ad mille passus a Troyna, ubi veteris urbis vestigia etiamnum, ædium, inquam, murorum ac pyramidum ex quadratis lapidibus claram spectantur cadavera.

2 S. Silvestri res gestas, ex lectionibus quo ejus die festo recitantur, ita describit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiae ad II Maii: Silvester Troynopolis honestis religiosisque parentibus, Gulielmo Siciliæ Rege, ortus, pieque educatus, cœnobium S. Michaelis Archangeli ordinis S. Basilii, habitum monasticum induens, ingreditur. Ubi brevi eos progressus fecit, ut ceteros vita asperitatem suique ipsius abnegatione antecelleret. Peregrinandi cupidus de Abbatis licentia v. In. Februarii Catanan ad corpus B. Agathæ Virginis et Martyris venerandam venit. Qua in re illud mirandum, quod cum Catana a Troy-

nopolii XL millibus passuum absit, (quæ quis equo per diem festivo tempore vix conficerit) Silvester tamen pedester hiberno tempore Catanan profectus, ac precibus ad Virginis tumulum persolutis domum eadem die reversus est.

Ardentem fur-
num intrat.

3 Cum furnarius panem cocturus, scopam, quæ furnum ardente prunis mundaret, minime reperiret, querereturque quod mora pani detrimentum adferret; Silvestris signo Crucis munitus illum ingressus, prunis ardentibus in unum collectis, vestis suaæ extremitate tergit. Quare Abbatini unita, currrens cum monachis e furo Silvestrum illæsum exeuntem vidit: ac ex ea die apud monachos Silvester coepit esse venerationis.

Oculta et fu-
tura novit.

4 Romam, ut loca sancta inviseret, summique Pontificis (a quo ob sanctitatis famam benigne exceptus est) pedes deoscularet, prefectus; iis peractis, perceptaque Pontificis benedictione navem conscendit, et Panormum appulit. Ubi cum Regis filius gravissime ægrotaret, ad Regem accedens bono animo illum esse jubet; et ad filium jam morti proximum deductus, fore ut brevi incolumis evaderet ait. Quem medici delirare existimantes, effundere volentes, porcæ urinam affèri curant, ex qua ille ægroti morbum agnosceret: quam illlico Silvester esse porcæ decem in utero suillos habentis urinam dixit. Sicque illa Regis mandato mactata et aperta deprehensum est, et Silvestro habita fides: qui omnibus e cubiculo ejectis, cum preces Deo effusisset, filium Regi reddidit incolumem. Cumque Rex Silvestrum, ut quidquid vellet posceret, instanter rogaret; thynn tandem, cuius ingens copia capi solet, parum pro cœnobio petit. Qui petitionem exilem miratus, aliquot thynnorum tegetes perpetuo quovis anno dandos decrevit: quibus ad haec usque tempora frui feruntur.

Egrum pre-
cibus sanat.

5 Reversus

*Fugit hōno-
res.*


5 Reversus ad monasterium, defunctoque Abbatem, cum Silvestrum ei subrogare cogitarent, is elapsus in silvam non longe a civitate se abdidit: ubi aliquamdiu vitam eremiticam duxit, orationibus, jejuniis, meditationibus aliisque corporis afflictionibus intentus: donec iv Non. Januarii, anno a partu Virginis MCLXXXV, suum Deo tradidit spiritum. Corpus ibidem sepultum est, sacra aede sub ejus invocatione constructa: quo, hac die et n Januarii, innumera hominum multitudo confluit. Solent enim daemonicai infirmique ejus intercessione liberari.

6 Anno vero Domini MDLXXV, peste per universam Siciliam grassante, cum Troynopoli multi in dies perirent, ac die secunda Januarii, qua natalis ejus

celebratur, maxime effervescente, imaginem S. Silvestri cives in processione deferrent; mox ab ea penitus extincta liberati sunt. Quare Julius III, Pontifex Maximus non modo indulgentias ecclesiam S. Silvestri visitantibus concessit, sed et festum ab omnibus in ea civitate celebrari voluit. *Hæc Ferrarius. Sed manifestum in anno, quo hæc ope S. Silvestri sopita lues dicitur, mendum inest, cum Julius III, anno MDLV obierit: aut certe eo miraculo ad festum sancti inductus non est, ut vult Ferrarius; qui iterum in Notis Silvestrum ait MCLXXXIX decessisse, cum supra, et in generali Catalogo Sanctorum MCLXXXV, mortuum asserat.*

*Pestis ejus in-
vocatione se-
data.*

*Miracula ad
ejustumutum.*



LXXXVII. 3. LXXXVIII.